

Petrus de Vinea

*Ep. I 22 (Dum conscientiae
uolumina uoluimus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 22 (Dum conscientiae
uolumina uoluimus...)*

1240

Fridericus Viterbiensibus, inducens eos ad fidem suam, commemorans quod papa noluit eis in necessitate subvenire. Fridericus et cetera, Viterbiensibus fidelibus suis et cetera.

1. Dum conscientiae uolumina uoluimus, dum ciuitates nostro subiectas Imperio in nostrae considerationis speculo speculamur, in quibus credit nostra serenitas serenam fidem et deuotionem debitam congruis temporibus reperire, occurrit nobis specialiter Viterbiensium ciuitas: consuetae constanciae representans monilia et indeficientis deuotionis circumamicta faleris semper gratis satis, Imperio fructuosis et floridis obsequiis obsequitur, et fidei suae constantia probabilibus argumentis et euidētissimis indiciis demonstratur. 2. Nam cum a uicinis uestris graues reciperetis iniurias et pressuras, contradicente tunc papa serenitatis nostrae proposito, quod ad succursum uestrum promptis desideriis intendebat, nos ad nitorem uestrae fidei, quam illibatam semper seruastis Imperio, dignum et debitum respectum habentes, in auxilium uestrum Cesareae potentiae uires armauimus, et nobilem militiam Germaniae bellis expertam ad tuitionem uestri duximus destinandam. 3. Alia etiam uice, iste qui dicitur papa, defensionis uestrae nomen assumpsit; sed nos, qui in uestris lesionibus tangebamur et angebamur intrinsecus, defensionis onus prompta uoluntate suscepimus, non ipsius uerbis inducti, sed potius consideratione uestrae fidei imperialiter excitati, ubi propriae personae sudoribus non pepercimus, sed sub estubus solis, sub tediis pulueris, sub galea laborauimus et lorica in Augusto; cum priuati etiam suos labores angustant, pro uobis laborabat Augustus, nec laborantis

uotum aeris intemperies retardabat, sed inducebat nobis labor solacium, per quem quies uestra et nostrorum fidelium parabatur. 4. Tunc eraria nostra patefacta sunt sumptibus in uestrae commodum defensionis effusis, et quia in eis uestra querebatur utilitas, spem nobis affectati commodi redolebant. Ille uero, qui inane nomen assumpserat defensoris, hostilibus pascebat uos uerbis et pascuorum commoda subtrahebat, nec uoluit uobis in quantitatis modicae pecunia tantum mutuo subuenire, expectans ut cancrum suo parandum edulio educeret aliena dextera de cauernis. 5. Igitur, dum haec omnia in nostrae lance considerationis appendimus, nichil de uobis conscientiae culminis nostri contrarium suspicio quaelibet suaderet, immo firma pollicetur fiducia, quod honorem nostrum et Imperii, continuatis uestris desideriis affectatum, brachiis uelitis patentibus amplexari, nullo contrario spiritu propositi vestri constantiam immutante. 6. Cum itaque tempus aduenerit, quo, nobis et Imperio semper grati, potestis fieri gratiores, uos hortamur, exurgite, mentes uestras erigite ad contemplandam Imperii speciem et uirtutem, nosque gratiosum uestrum agnoscite possessorem; parate uiam Domino, rectas facite semitas eius, tollite seras portarum uestrarum, ut Cesar uester rebellibus terribilis et uobis ueniat mansuetus, in cuius aduentu quiescant spiritus qui uos hactenus fatigabant. 7. Ecce autem, ut super hiis et aliis vobis nostrae maiestatis beneplacitum reseremus, plene verbotenus nostrae uoluntatis instructum mittimus ad uos V. de Saxonia, fidelem nostrum, cui in eis, quae vobis ex parte nostri culminis dixerit, tamquam ab ore nostro prolata, curetis indubitanter credere et efficaciter adimplere.